



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma litterarum vocandi officiales temporales, vt co[m]pareant coram  
Inquisitore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**



alios orthodoxos fidei zelatores; hi qui iurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum & aliorum catholicorum virorum insinuationem; eos capere tenentur: & eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam condemnatos damnabili morte peribant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant. *hæc ibi.*

Et eos ducere quo Inquisitores voluerint.

d Et infra iurisdictionem vestram ad locum de quo dictus Inquisitor vobis dixerit, deducendo. *Desumptum videtur ex rescripto Innocentij IIII. incipiente: Ad extirpanda. §. teneatur, el primo, vbi magistratibus secularibus hoc præcipitur in hæc verba: Teneatur autem Potestas, seu Rector quilibet in expensis communis, cui præest, facere duci eisdem hæreticos ita captos, quocumque; diœcesanus vel eius Vicarius in iurisdictione, vel districtu diœcesani Episcopi seu ciuitatis, vel loci voluerit illos duci. hæc ibi, quæ verba tametsi solis episcopis & eorum Vicariis, hanc præcipiendi hoc facultatem tribuere videantur, Inquisitoribus etiam competunt, vt initium et series eius rescripti indicant, declarauitque etiam Clemens IIII. alio rescripto incipiente: Ad extirpanda. quod est relatum inter litteras Apostolicas in fine huius operis.*

Inquisitores ab omnibus debent protegi & defendi.

e Vt autem Inquisitor præfatus suum inquisitionis officium, &c. nostro suffultus præsidio et fauore, inquisitorem eundem, &c. benigne recipimus cum præsentem. *Hoc ipsum præcepit Federicus Imperator vniuersis præsidibus tam ecclesiasticis, quam secularibus in l. commissi nobis. §. 10. in hæc verba: Ad hoc notum fieri volumus, fratres Prædicatores de ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperij nostri contra hæreticos deputatos, ceteros quoque qui ad hæreticos iudicandos accesserint, & uenerint, nisi aliqui eorum ab imperio sint præscripti, eundo, morando & redeundo, sub nostra & imperiali defensione, speciali recipimus: & quod apud omnes sub ope & recommendatione fidelium imperij esse volumus offensos; vniuersitati vestræ mādantes, quatenus quocumque, & apud quemcunque vestrum peruenerint, benigne recipiatis eisdem: & personas ab incurfu hæreticorum eis insidiantium cōseruantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis pro tam acceptis coram Deo negotijs exequendis. hæc tenens ibi. ex quibus Emericus hanc scribendi præxim subtiliter accepisse videtur.*

forte, omnibus.

f Mandantes vobis (vt supra) quod guidaticum seu protectionem, &c. *In Directorio Sabellano paulo fauorabiliora leguntur hæc, in hunc modum: Mandantes vobis, vt dictum Inquisitorem, eius socios, notarios, & familiares, ac eorum res & bona ab huiusmodi guidagij, datij, portibus, ac ab alijs oneribus, & grauaminibus liberos, & expeditos esse faciatis, nõ permittentes eos pro huiusmodi aliquid soluere, aut eis damnū aliquod a quocumque inferri, siue pro personis siue pro rebus: quinimmo prouideatis eisdem de securis transitu & portu, ac custodia, aut guidagio, sicut per eundem Inquisitorem fueritis requisiti. hæc ibi, quæ privilegia exemptionum & immunitatum satis videntur colligi ex præcitata Federici lege.*

A Et plane iustissimum est & æquissimum, vt Inquisitores, & eorum res & bona istis immunitatibus fruantur: nam si Doctoribus & Scholaribus ratione publicæ utilitatis concessum est, vt ab omnibus muneribus seu oneribus realibus & personilibus sint immunes & liberi. *1. C. qui astate, vel professio se excusant. lib. 10. vbi Nicolaus de Neapoli, Luc. de Penna, & alij cōmouent, & Gulielmus de Caneo in tract. de muner. nu. 9. & Bartolus in l. sed & reprobari. §. amplius, nu. 4. ff. de excusat. tuto. & copiose Horatius Lucius tract. de privilegijs scholarium in privilegio 57. profecto multo magis hoc Inquisitoribus debet tribui, cum causam si dei, quæ ceteris præponderat, tueantur. Tradit Joannes Roias tract. de hæret. par. 2. nu. 421 facit optime textus in c. non minus de immunit. ecclesia. vbi sacerdotibus Aegyptijs, quia religioni, & cultui suorum idolorum seruebant, de publico alimoniam administrari, & ab omnibus oneribus liberos fuisse scribit Romanus Pontifex: quod multo magis in repub. Christiana competere debere sacre fidei censoribus exploratissimum est, faciuntque tradit Guido Pape decisio 83. incip. Die decima quarta. & alij, quos breuitatis causa omitto.*

g Quibus litteris sic obtentis, accedat ipse Inquisitor ad Archiepiscopum, &c. *Hodie qua ratione hoc fieri debeat, dixi paulo antea in principio huius commentarij: & conuenit penitus doctrina concilij Biturrensis c. 1. quam supra etiam citavi.*

h Poterit & merito, &c. in suo officio molestari, ac etiã retardari, & requiri ne amplius procedat. *Et causa in promptu est, quia nemo creditur delegatus, nisi probe delegationem. c. cum in iure, cum de offic. delegari. itaq; si virtute mandati sibi facti procedere cupit, mandatum ostendere, & probare debet, de quo vide quæ eleganter & copiose tradit Conradus Brunus lib. 1. de legationibus. c. 8.*

D Forma litterarum vocandæ officiales temporales, vt compareant coram Inquisitore.

**R**ater N. &c. ordinis Prædicatorum Inquisitor hereticæ prauitatis in terris talis domini, a sancta sede Apostolica delegatus, venerabilibus & dilectis in ciuitate tali, vicario, balliuo ac consiliibus: Salutem, & mandatum nostris, immo verius Apostolicis, prompto animo obedire.

E CVM Propter inquisitionis hæreticorum nobis iniunctum officium, & etiam propter vestrum, habeamus super negotijs fidei vna vobiscum aliqua pertractare: ideo auctoritate domini nostri Pape, qua fungimur in hac parte, & iniuncti nobis officij, vos & quemlibet vestrum rogamus & requirimus per præsentem (quauis possimus præcipere & mandare) sed de prouidentia zelus vestri in causa maxime fidei minime dubitantes, quatenus omnibus negotijs prætermisissis, die tali, quæ cōputabitur talis dies, mensis talis, & horæ tali ad talem locum domus fratrum Prædicatorum talis loci certa ratione ad nos personaliter veniat.



niatis. Datum in tali loco, die tali, talis mensis, an- no tali. Quod si comparuerint, Inquisitor verbis exhor- tetur eos, quatenus presentem ei iuramentum corpora- le, ad defendenda Ecclesia contra hereticos iuxta posse officium suum, faciendo eis legi per notarium predicta capitula seu decretales in vulgari. Quibus factis, ut magis appareat de iustitia & eorum obe- dientia, monebit eos, ac requiret in presentia probato- rum, & maxime personarum ecclesiasticarum, qua- rum faciat antedicta per literas tenoris sequentis.

COMMENT. II.

Quoniam multis Pontificum rescriptis (de quib. in 2. par. copiose egit Emericus) iubentur quatuorlibet civitatum magistratus iure ad nutum Inquisitorum se inuolubiliter obseruaturus quasi que leges aduersus hereticos editas, & expurgatu- ros civitates suas ab heretica prauitate, & captu- ros hereticos, & prestituros ipsis Inquisitorib. au- xilium, consilium, & fauore, quos si predicta pre- stare remiserint, possunt Inquisitores compellere per ecclesiasticas censuras: propterea Emericus qua ra- tione ea iuris precepta ad praxim reuocentur, indu- cit singularem propositis exemplis edocet. addit a- praeterea forma absolutionis, ab eisdem censuris, ut conuicta admissim intelligantur, idque usque ad ti- tulum de instruendo vicario, seu commissario.

Ordinis Prædicatorum. Frater ordinis Prædi- catorum in his semper nominatur, quia iuribus dele- gate inquisitionis contra hereticam prauitatem, hi- cum fratribus Minoribus ordinis B. Francisci hui- c muneris fuerunt præfati, quod usque in hodiernam diem exercent adhuc in vniuersa fere Italia.

Et mandatis nostris, immo verius Apostoli- cis. Obseruandus est hic modus quem scribendo In- quisitores vsuunt, quo ideo vtuntur, quonia Pon- tificis summi personam representant, vt notat Ab- bas in c. sane. de offic. delegati, & Campegius apud Zanchinum c. 8. quod ad amplam eorum dignitatē spectat. is autem scribendi modus desumptus vide- tur ex rescripto quodam Innoc. iij. incipiente: Or- thodoxe fidei, circa finem ibi. Si vero nostris in hoc, immo potius Apostolicis acquiescere moni- tis non curauerint, &c.

Forma litterarum requirendi officiales tempo- rales vt presentem iuramentum.



Rater N. &c. ordinis Prædicatorum Inquisitor heretica prauitatis in terris talis domini, a sede Apostoli- ca delegatus specialiter, Venerabi- libus, vicario, balliuo, ac cõsulibus talis ciuitatis, seu loci: Salutem, & mandatis no- stris, immo verius Apostolicis, prompto animo obedire.

CVM A statutis sacrosanctæ Roman. Eccl. & præsertim super negotijs fidei, in qua eiusdē matris Ecclesiæ fundamenta a domino nostro Christo posita dignoscuntur, & firmiter stabili- ta, nullus vere catholicus debeat deuiare, sed po-

tius secundum eius officium promouere totis vi- ribus & complere, ideo nos frater N. ordinis Prædicatorum prouinciæ talis, a sede Apostolica specialiter delegatus, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, & iniuncti nobis of- ficij, Vos venerabiles Iuratos, Balliuum, Subbal- liuum, Vicarium, & subuicarium ciuitatis talis, generaliter, & quemlibet vestrum singulariter monemus per presentes, & requirimus de præ- senti, quatenus præstetis ad sancta Dei Euange- lia (vt est iuris) publice iuramentum, de obser- uandis Imperatoris Federici legibus, & statutis super negotio fidei editis, & hereticæ prauitatis, secundum formam & modum per secundum sta- tuta Ecclesiæ exprimentū. Si autē (quod absit) contempseritis, & renueritis mādatis Apostoli- cis & nostris in hoc negotio obedire, denuncia- mus vos per nos mucrone anathematis feriēdos & vestris publicis officijs spoliandos in posterū etiam, & priuandos, secundum Apostolica & ca- nonica statuta. Datum. &c.

Quibus litteris eis lectis, si predicti officiales ta- liter requisiti consenserint ac se velle dixerint præ- stare antedictum iuramentum, præstabunt, ibidem, vel in Ecclesia publice, vel in loco, de quo videbitur; præfatum autem iuramentum præstabunt fle- xis genibus libro Euangeliorum stante ante eos, & ipsi officialibus ponentibus manus ad librum præ- dictum per verba, & formam tenoris sequentis.

COMMENT. III.

De obseruandis Federici legibus super ne- gocio fidei editis. Tulit has leges Federi- cus Patani, easque promulgauit 22. die Februarij indictione 12. prima incipit; Committi nobis ce- litus, secunda: Incofutilem, tertia: Patarenorum, quarta: Catharos. has multi Pontifices Romani olim inuolubiliter obseruari iusserunt. Innoc. iij. rescripto incipiente: Cum aduersus Urbanus iij. alio incipiente: Licet ex omnibus. Alexander iij. & alij, vt constat ex litteris Apostolicis, quas in fine huius operis imprimendas curauimus, vbi & has leges habes insertas, & earum nonnullas nunc- primum in lucem editas. tardē Bonifacius octauus easdem leges iussit obseruari, vt patet in c. vt inqui- sitionis. §. 1. de heret. lib. 6. huius rei hoc loco non immemor Emericus hanc clausulam prudentissi- me apposuit.

Nec modo ad obseruandas Federici leges, sed et ad qualibet alia statuta tam ecclesiastica quā sæcu- laria cogi possunt sæculi magistratus per Inquisito- res heretica prauitatis, ut constat in primis ex duob. rescriptis. Innocentij iij. incipientibus; Orthodo- xæ fidei. que sunt impressa in bullario litterarum Apostolicarum, cuiusq; et nominatim cõciliū Biter- rense c. 3. 1. in hæc verba. Vt autem adiuuante Do- mino heresis melius extirpetur & citius, fideiq; plantetur in terra, statuta & iura per sedē Apos- tolicā, eiusq; legatos ac principes super his edi- ta, faciatis plenissime obseruari. hæc ibi. Ad hoc autem per censuram ecclesiasticam cogi possunt, ut in præcatis Innocentij iij. rescriptis continetur.

Forma

Confentien- tes genuflexi iurabunt.

Num. 9.

Federici le- ges cõtra he- reticos multi Pontifices cõ- firmabant.

Item leges quaslibet iu- bent obserua- ti.